

- tetur inpleatur mensuretur et reportetur. ¶ Item non vendere aliquod vinum in taberna pro precio, nisi primo fecerit securitatem comuni(s) Tergesti de libr. centum par., etiam pena decem libr. par. ¶ Item non habere mensuram falsam, etiam
- 5 pena decem libr. par. ¶ Et vinum¹⁾ quod vendent pro precio recipere solum modo sex sold. par. pro qualibet urna, etiam sub dicta pena, et nullus aude[a]t eis plus dare sub dicta pena. ¶ Item non falsare aliquod vinum eis datum ad vendendum inponendo aquam vel aliud, etiam pena decem libr. par. et
- 10 satisfatiendi totum vinum domino, prout vendiderit eum secundum mensuram eis datam, et ipsum vinum sic falsatum remaneat tabernario et quo[d]libet vinum salvavini. ¶ Item aperire sequenti die facta clave vini in taberna dictum vinum, etiam pena decem libr. par., et licitum sit domino vini ipsum vendere
- 15 ad grossum, etiam posita taberna, fatiando clavim de subtus.²⁾ ¶ Item non aperire diebus dominicis nec tenere tabernam apertam usque ad pulsationem maioris misse, in diebus dominicis et in festivitibus sancte Marie, sanctorum Apostolorum, Patronorum Tergesti, sancte Marie Magdalene, sancti Johannis
- 20 Baptiste, etiam pena centum sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta, et quilibet teneatur accusare et habeat medietatem condemnationis. ¶ Item non dare potum alicui in sua taberna vel eam tenere apertam post tertium cochum tintanabuli, nisi foret alicui volenti deferre in aliquod vas,
- 25 etiam pena quadraginta frx. ¶ Item tenere aquam mundam continue in or- // nella sive eruana³⁾ vel alio vase ad commodum 64 B bibentium, in pena viginti sold. par. ¶ Item non facere credentiam alicui persone de vino quod dabunt, et si fecerint, nulla ratio fiat per dominium Tergesti sive per iudices vel rectores,
- 30 sed sibi facere solvi antequam dabunt vinum. ¶ Et si qua persona portaverit vinum alicuius tabernarii, vel alicuius persone vendentis vinum in taberna, absque voluntate ipsorum talium vendentium⁴⁾ vinum, et non solverit, cadat ad penam viginti sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta in-

¹⁾ Così il testo, che dev'esser guasto. Gli Statuti del 1365 hanno *Et pro vino quod.* ²⁾ *subnis.* ³⁾ Gli Statuti del 1365 hanno: *çivana.* ⁴⁾ *venditium.*